

THE TALE OF THE TUB (9.4-7)

1 Nec paucis casulis atque castellis oberratis devertimus ad quempiam pagum urbis
2 opulentae quondam, ut memorabant incolae, inter semiruta vestigia conditum et
3 hospitio proximi stabuli recepti cognoscimus lepidam de adulterio cuiusdam
4 pauperis fabulam, quam vos etiam cognoscatis volo.

5 [5] Is gracili pauperie laborans fabriles operas praebendo parvis illis mercedibus
6 vitam tenebat. Erat ei tamen uxorcula etiam satis quidem tenuis et ipsa, verum
7 tamen postrema lascivia famigerabilis. Sed die quadam, dum matutino ille ad opus
8 susceptum proficiscitur, statim latenter inrepat eius hospitium temerarius adulter.
9 Ac dum Veneris conluctationibus securius operantur, maritus ignarus rerum ac nihil
10 etiam tum tale suspicans inprovisus hospitium repetit. Iamque clausis et obseratis
11 foribus, uxoris laudata continentia ianuam pulsat, sibilo etiam praesentiam suam
12 denuntiante. Tunc mulier callida et ad huius modi flagitia perastutula tenacissimis
13 amplexibus expeditum hominem dolio, quod erat in angulo semiobrutum, sed alias
14 vacuum, dissimulanter abscondit, et patefactis aedibus adhuc introeuntem maritum
15 aspero sermone accipit:

16 "Sicine vacuum et otiosus insinuatis manibus ambulabis mihi, nec obito consueto
17 labore vitae nostrae prospicies et aliquid cibatum parabis? At ego misera pernox et
18 per diem lanificio nervos meos contorqueo, ut intra cellulam nostram saltem lucerna
19 luceat. Quanto me felicior Daphne vicina, quae mero et prandio matutino saucia
20 cum suis adulteris volutatur!"

21 [6] Sic confutatus maritus: "Et quid istic est?" ait. "Nam licet forensi negotio
22 officinator noster attentus ferias nobis fecerit, tamen hodiernae cenulae nostrae
23 prospexi. Vide sis ut dolium, quod semper vacuum, frustra locum detinet tantum et
24 re vera praeter impedimentum conversationis nostrae nihil praestat amplius. Istud
25 ego sex denariis cuidam venditavi, et adest ut dato pretio secum rem suam ferat.
26 Quin itaque praecingeris mihi que manum tantisper accommodas, ut exobrutum
27 protinus tradatur emptori?"

28 E re nata fallaciosa mulier temerarium tollens cachinnum: "Magnum" inquit "istum
29 virum ac strenuum negotiatorem nacta sum, qui rem, quam ego mulier et intra
30 hospitium contenta iam dudum septem denariis vendidi, minoris distraxit."

31 Additamento pretii laetus maritus: "Et quis est ille" ait "qui tanto praestinauit?" At
32 illa: "Olim, inepte," inquit "descendit in dolium sedulo soliditatem eius probaturus."

33 [7] Nec ille sermoni mulieris defuit, sed exurgens alacriter: "Vis" inquit "verum scire,
34 mater familias? Hoc tibi dolium nimis vetustum est et multifariam rimis hiantibus
35 quassum." Ad maritumque eius dissimulanter conversus: "Quin tu, quicumque es,
36 homuncio, lucernam" ait "actutum mihi expedis, ut erasis intrinsecus sordibus
37 diligenter aptumne usui possim dinoscere, nisi nos putas aes de malo habere?"

38 Nec quicumque moratus ac suspicatus acer et egregius ille maritus accensa lucerna:
39 "Discede," inquit "frater, et otiosus adsiste, donec probe percuratum istud tibi
40 repraesentem." Et cum dicto nudatus ipse delato lumine scabiem vetustam cariosae
41 testae occipit exsculpere.

42 At vero adulter bellissimus ille pusio inclinatum dolio pronam uxorem fabri
43 superincurvatus secure dedolabat. Ast illa capite in dolium demisso maritum suum
44 astu meretricio tractabat ludicre. Hoc et illud et aliud et rursus aliud purgandum
45 demonstrat digito suo, donec utroque opere perfecto, accepit septem denariis,
46 calamitosus faber collo suo gerens dolium coactus est ad hospitium adulteri
47 perferre.